

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*16*

1328 giugno 29, Ind. XI, Matera

† In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno dominice incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vicesimo octavo. Regnante *domino nostro* Roberto, Dei gratia invictissimi Ierusalem et Sicilie rege, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcacherie ac Pedimontis comite, regnorum suorum anno vicesimo, dominante etiam *illustri domino domino* nostro Philippo clare memorie Ierusalem et Sicilie regis filio *inclito* principe in principatu Tarenti, principatus sui anno tricesimoquinto, mense iunii, die penultimo eiusdem, undecime indictionis, Matere.

Ego Alfarana, mulier, filia quondam Dominici magistri Theodori, de Matera, in presentia Clementis, principalis Matere iudicis, Iacobi iudicis Francisci, puplici eiusdem terre notarii, presbiteri Eustasii, iudicis Clementis, Nicolai fratris sui et aliorum testium subscriptorum licteratorum de eadem terra *Matera ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum* stante mecum Dominico, nepote meo et legitimo mundualdo, stantibus etiam mecum duobus aliis proximioribus parentibus meis et in hoc consentientibus, *interrogata et examinata per predictum iudicem vel <de> vi iussione et metu et non reperta per me pati aliquid de premissis sed mea propria et spontanea voluntate hoc velle facere ac omni alia solemnitate mihi habita et peracta que in mulierum contractis adhiberi convenit et debet*, pro subveniundo urgenti famis necessitati, quam patior in presenti, voluntarie vendidi et per fustem transactive tradidi Iohanni, filio magistri Nicolai de Symana, de eadem terra Matere, criptam unam meam cum camarella et cisterna prope ipsam, que est in Saxo Carioso *subscriptis finibus designatam cum omnibus iuribus*

*et pertinenciis et cum omnibus infra se habitis et contentis pro tarenis auri viginti duobus et medio ponderis generalis. Eo tenore ut predicta cripta cum camarella et cisterna et cum omnibus suis iuribus suprascriptis a modo et in antea omnique futuro tempore sit eiusdem Iohannis suorumque heredum ad faciendum de eis in eis et ex eis quicquid sibi suisque heredibus placuerit, sine mea meorumque heredum ac omnium hominum molestia, contrarietate et requisitione, nullis mihi vel meis heredibus sive alicui alii iure porcione vel petitione quibuslibet reservatis. Cuius mee venditionis hos dico esse fines: primus finis est frons ipsius cripte, secundus finis est cripta Nicolai Tite Maralde, tertius finis est paries qui est iuxta Gravilionum, quartus denique finis est cripta Martini sire Theopisti. Infra hos itaque fines voluntarie vendidi et per testem transactive tradidi cum predicta sollempnitate predicto Iohanni predictam criptam meam cum camarella, cisterna et omnibus aliis suis iuribus predictis pro tarenis auri viginti et duobus et medio ponderis generalis in presentia predictorum ... in corporalem et vacuum possessionem introduxi pro consumanda vero hac mea tradita et assignata vendicione statim recepi ab eodem Iohanne tarenos auri viginti duos et medium ponderis generalis finitorum quidem ipsius vendicionis precium quod inter nos statim et apud me habere confiteor. Unde voluntarie in predictorum presencia guadium dedi cum predicta sollempnitate predicto Iohanni emptori, fideiussore proinde posito predicto Domenico, nepote meo ut ego meique heredes semper in ipsa vendicione maneamus, numquam ipsam disrumpere minuere vel enervare temptantes ... defendamus tam sibi suisque heredibus ab omni nostro debito et obligatione et ab*

*omni humana persona contra hanc meam vendicionem modo quolibet veniente, renunciantes cum predicta sollempnitate exceptioni non numerate pecunie, non ponderate et non assignate, exceptioni doli, mali, metus et in factum iuri canonico, civili et longobardico, iuri scripto et non scripto, iuri consuetudinario, constitutionibus imperialibus et regalibus factis et faciendis et omni alia exceptioni et opposicioni et omni iuris auxilio per legum beneficio comuni vel generali, propter quod a presenti obligatione possumus in totum eximi vel in parte subtrahi. Contra que si fecero et per causationes seu per leges cum predicto Iohanne vel eius heredibus exinde venero modo quolibet vel ingenio, obligo me cum predicta sollempnitate componere sibi vel suis heredibus pene nomine unciam auri unam et totidem curie que pena tociens commictatur tociens exigatur et exolvatur, et ita exacta vel non ... prescripta et infrascripta nihilominus in suo robore perseverent et ad memoriam et cautelam suam de non veniendo contra predictam venditionem ullo umquam tempore de iure vel de facto corporaliter ad sancti Dei evangelii prestiti iuramentum ... .. licentiam tribuendo pignorandi se suosque heredes per omnia eorum pignora licita et illicita sine calupnia et appellatione ... et ego.. ... donec predicta omnia per ordinem compleantur; ad quam predictam fideiussionem ego predictus fideiussor consci et voluntarie in predictorum presencia obligavi me meosque heredibus in manibus predicti Iohannis per guadium et stipulationem solempnem predicta rata et illibata servare et adimplere prout et qualiter superius sunt espressa.*

6

1

2

3

4

5

Que predicta omnia nos predicti iudex notarius et testes prescripti et subscripti fatemur atque testamur acta et celebrata fuisse sollempniter coram nobis, prout presens continet instrumentum. Quod scripsi ego predictus Iacobus puplicus Matera notarius et meo soliti signo signavi.

† Clemens principalis Matere iudex

† Ego presbiter Eustasius testor qui supra

† Ego Nicolaus de iudice Clemente de Matera qui supra

† Ego presbiter Eustasius Nicolay de Gulielmo testor

6

Semana *M*

finis *M*

civis *M*

*lacuna M*

*lacuna M*

*questa sottoscrizione manca in M*